



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiæ Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XI. De Regulis Cancellariæ, earumque origine & auctoritate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](#)

tiones, citationum literarumque lectio-
nes, quæ quotidie in hoc Auditorio
fiunt, annotat. Alter ad servitium Au-
ditoris, qui Actuarius est causarum, quæ
coram Auditore ventilantur.

9. Præter hos sunt in Auditorio ho-
quatuordecim Patroni seu Procuratorei
partium vel impetrantium, quorum
Officium est omnes literas, quæ in eo
expediuntur dictare, easque supplici-
bus vel litigantibus, retentis juxta taxam
debitis solutionibus, nomine Pontificis
& sub plumbo expeditas dare.

10. Nunc verò solet Signatura in Re-
scriptis justitiæ mixtis, ac pluribus etiam
merè gratiosis in istâ literarum expedi-
one dispensare, ut possint ejusmodi literæ
per Secretariam sub annulo Piscatoris
expediri, ad quam proinde magnus est
petentium concursus, ut Auditorium
hoc maneat ferè otiosum & desolatum.
Vestrius l. c.

C A P U T XI.

De Regulis Cancellariae, ea- rumque origine & auctoritate.

1. Qui Regulas has confecerint.

2. Quotuplices sint.

3. & 4. An constituant ius universale.

5. 6. 7

5. 6. 7. Constituunt universale.
8. Sed novum.
9. Quia carent perpetuitate.
10. Et publicatione.
11. Regulae mutantur, ideo sub plumbo peti debent,
ut probent.
12. In Regulis notis non est necessaria tanta cau-
tela.
13. Cur dicantur Reg. Cancellariæ.
14. An sententia contra Reg. Concellariæ valeat.

I.

R^Egulas Cancellariæ primus, ut tra-
ditur, dedit & hoc nomine appelle-
lavit Joannes XXII, quas deinde Suc-
cessores Rom. Pontifices auxerunt & de-
clararunt. Nam Nicolaus V. novas pro-
posuit aut certè priores meliorem in or-
dinem redegit, quæ ubique in usu &
observantia fuerunt usque ad tempora
Innocentii VIII. Hic anno 1484. 30. Aug.
reservations quasdam Beneficiorum &
dignitatum Ecclesiasticarum, Consti-
tutiones item & Regulas præscripsit
publicavitque per Rodericum Episco-
pum Portuensem S. R. E. Vice-Cancel-
larium, quæ appellatae sunt *Regulae Can-*
cellariæ Apostolicae. vel quod magna il-
larum pars concernat literarum expe-
ditionem, quæ fit in Cancellaria, vel quod

A a 2 in

in ea illæ publicentur. His additæ sub-
inde sunt aliæ quædam à Julio II, Cle-
mente VII, Paulo III, & Paulo V. Stein.
in Prol. §. II.

2. Sunt vero duplicis generis, nam
aliæ Regulæ dicuntur *de Dandis*, ut ha-
bet textus, dum requirit *Cedulam*, cui
*stare debeant Judices à duobus ma-
joris Præsidentiæ signatam, quod dandas;*
& expediuntur sub plumbo in forma alia-
rum Bullarum præmissa supplicatione
ad Papam. Aliæ non sunt de Dandis,
nec solent partibus communicari, quia
dant formam solis Officialibus Cance-
lariæ, quo ad expeditiones literarum
Chokier in Rub. Reg. Canc.

3. Constitutiones in Regulis Cance-
lariæ contentas observari in Curia &
Cancellaria, docet quotidiana praxis;
Sed controvertitur, an jus faciant uni-
versale in toto Orbe Christiano obser-
vandum. Negat Salas. 1. 2. tract. 14.
disp. 21. Sect. 1. n. 7. cum Anch. Zabarel.
Jas. Belanz. Decio. Affirmat Chokier
*in Tit. Reg. Canc. n. 17. cum præstantissi-
mis Jurisconsultis & Rotæ Auditori-
bus.*

4. Distinguunt & conciliare conatur
utramque sententiam Ludov. Gomes in
Proœm.

ni

Præm. Regul. Cancel. dicendo Regulas de Dandis jus facere universale, secus vero illas, quæ non sunt de dandis; Verum de non dandis videtur certum non constituere jus universale, quia hæ solis Officialibus Cancellariae præscribunt normam, qua expediri debent literæ in Cancellaria, & ad hunc determinatum & particularem effectum locumque restrictæ sunt, adeoque potentibus dari non solent, nec extra Curiam ligant. Quæstio ergo instituitur de Regulis, quæ de Dandis dicuntur.

5. Dicendum videtur cum Valente Concord. Jur. Pont. intit. 2. de Constit. 5. Sect. 3. Jus constituere generale, sed novum novo modo formaq; ex Papæ dispositio- ne introductum. Quod constituant jus universale testantur decimum esse sæpius in Rota præclarissimi Rotæ Auditores. Nicolaus Milis in Repert. V. Lex. Felin. in c. 2. de Rescript. & in c. Quod super his de fid. instrum. coll. 3. Concl. 2. Franciscus Pata- vinus in Præl. Extrav. aliisque apud Go- mes.

6. Et evincunt rationes. 1. Quia ex persona Conditoris metienda est lex, an generalis sit, vel specialis. c. fin. de Const. in 6. Conditor vero harum Regu-

Aa 3 larum

larum est Pontifex, qui generalem habet jurisdictionem in toto Orbe: 2. Materia legis modificat legem & determinat limites illius, odiosa namque restringit, favorabilis ampliat legem. *Reg. Odiosa de Reg. in 6.* sed materia Regularum Cancellariæ, ut sunt Beneficia, dispensationes, aliæque gratiæ Pontificiæ est favorabilis; Ergo extenditur ad omnes toto Orbe Summo Pontifici subjectos. 3. Ab his Regulis excipiuntur Cardinales Feli-nus. Ergo cæteri omnes comprehunduntur, nam exclusio unius est inclusio alterius. 1. Cum Prætor ff. de Judic. adeoque constituunt jus universale.

7. Ideo S. Congregatio ejusmodi fecit Decretum anno 1607. *S. C. censuit, inhærendo decreto alias factō sub die II. Jan. 1600. præcipiendum Capitulo, & Canoniciis Ecclesiæ Pharen.* ut in post-
rum omnino abstineant ab electione,
nominatione seu præsentatione ad Ca-
nonicatus, & dignitates ejusdem Ec-
clesiæ vacantes in mensibus reservatis
S. D. N. obstantibus clarissimè Regulis
Cancellariæ. Immo sic electos male &
nulliter provisos declaravit. Insuper
ut etiam abstineant ab electione, nomi-
natio-

natione, seu presentatione ad eosdem Canonicatus, & dignitates vacantes mensibus Ordinarii, si quod tamen deducere pro eorum prætensione quo ad vacantes in mensibus Ordinarii voluerint. deducant infra bimestre.

Monendum etiam per literas Archi-Episc. Spalaten. Metropolitanum Ecclesiae Pharen. ne amplius in posterum audiat confirmare electiones Capituli & Canonicorum Pharen. de Canonicatis & dignitatibus Ecclesiae Pharen. neque in mensibus reservatis, neque Ordinarii. Imò Arguen. male se gessisse confirmando tales electiones. Octavius Card. Bandinus 16. Maj. 1607. Nicolius Can. l. 5. tit. 4 ex Lefina.

8. Quod vero hoc Jus sit novum, & non ejusdem modi ac formæ, qua Jus antiquum fuit institutum, patet ex eo quod careat perpetuitate & publicatio-ne, quæ necessario requirit communis forma & modus juris generalis. Arch. in c. Donatum 1. q. 7. & DD. communiter in l. Edicta C. de edendo. S. Thom. 1. 2. q. 90. a. 4.

9. Perpetuitate carent hæ Regulæ, quia morte cuiuslibet Papæ illas promulgantis

gantis extinguntur, cum in Processo dicatur: *Suo tempore duraturis*: Ergo durant solum tempore vitae, nec extenduntur ultra. *Simoneta de Reserv.* q. 58. quia voluntas exiprat cum Conditore. c. si gratiose de *Rescrip.* in 6. ideoque Sede vacante possunt Episcopi ex jure communii Beneficia vacantia conferre, nisi per Concordata Germaniae. alia vè ratione affecta sint Pontifici, aut si Beneficia, quæ Sede vacante vacarunt nondum ab Ordinariis sint collata, & de novo sibi reservet. *Chokier.* in *Proæm.* *Wagener.* t. 5. de *Præb.* & *Reg.* *Cancell.*

10. Promulgatione etiam debita carrent, quia non nisi in Curia Romana promulgantur Quæ autem generaliter obligant, jure antiquo generaliter quoque promulgari debent, ut omnibus innotescere possint, cum ignorantes non obligentur. c. *Cognoscentes.* c. Ut animarum de *Constit.* Quinimo nec ulla est necessaria publicatio Regularum, ut effectum suum saltem aliquem sortiantur, nimirum effectum nullitatis actus in contrarium gesti, licet non quoad culpam & poenam. *Aeneas de Falconibus* *Tract.* *de reiserv.* p. 4. n. 21. & 22. *Gometius* in *Proæm.* *Regul.* q. 2. §. 4. Pro ista cum Glossatore asserit ante publicationem regularum novum

novum Pontificem statim ac assumptus est Regulis virtutem suam tribuere, ita ut si vacaret Beneficium post Pontificis creationem & ante Regularum promulgationem, id non caderet sub expectatibus Prædecessoris, quia hæ per Regulas Cancellariæ censerentur revocatae, prout decisum fuisse suo tempore in Rota idem testatur. Cæterum ordinariè fieri solèt Regulæ Cancellariæ die immediate sequenti Assumptionem novi Pontificis. Atque ita hoc Jus Regularum secundum antiquum & communem modum non est institutum.

11. Cum ergo hæ Regulæ usu sic exigente soleant mutari, atque ita pro mutatione temporum fieri expeditat. 1. Non debet de Consan. & affin. l. 16. Cum quæritur ff. de Administ. & peric. Tuto. l. 27. in Caus. ff. de Procur. Ne ob hanc mutabilitatem dubia & lites oriantur, petendæ sunt semper à Vice-Cancellario seu Regente Cancellariæ in Bulla sub plumbo, ut extra Curiam in judiciis fidem faciant. Debent vero esse à tergo signatæ & à duobus aliis Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, & Vice Cancellarii seu Regentis manu subscriptæ. Reg. 28. Cancellariæ alias ex ordinatione Papæ

Papæ non ligant, & sententia vigore eorum lata esset nulla. *Alph. ad Reg. 20.*

12. Existimat tamen Chokier in Reg. 28. n. 18. secutus Glossatorem non necessario observari extra curiam formam in illa Regula præscriptam in Regulis notis & usitatis, quæ per libellos Regularum in Camera Apostolica Romæ impressos probari possunt. *wagnereck in Reg. 8.* quia ejusmodi libelli imprimuntur quasi in præsentia Principis ibi presentis, in qua non præsumitur aliquid fraudulenter actum. *Arg. l. Omnibus C. de Fest.* In Curia vero sufficit, quod dentur per Vice-Cancellarium, & semel in judicio productæ possunt pro quacunque causa repeti habita productionis semel factæ sufficiente fide.

13. Nec obstat supradictis i. Quod dicantur Regulæ Cancellariæ, quasi sint locales, & Cancellariâ solum Romanâ circumscriptæ, quia sic appellantur, vel quod magna illarum pars concernat litterarum expeditionem, quæ fit in Cancellaria, vel quod in ea publicentur, & registrentur, quod non impedit quo minus Regulæ sint generales. *l. 56. Insuff. de acquir. rer. dom. quemadmodum ius Prætorium dicebatur à Prætorio, inque*

ius dicebatur, & tamen est jus universalis. l. 35. in honorariis ff. de act. & oblig.

14. Nec obstat 2. Quod sententia contra Regulam Cancellariæ etiam allegatam, non tamen productam valeat. *Felin.* in le. 1. de sentent. & re jud. Et ut actus contra Regulam Cancellariæ irritetur necessaria sit Regulæ prohibentis impetratio, allegatio, in actis productio & Registration. *Chokier in Reg.* 26. n. 6. Si autem legem constituerent generalem, jam ipso jure sententia contra illas lata esset nulla.

l. 32. Cum prolatis ff. de re jud. &c. Cum inter de sent. & re judic. Nam respondeatur, quod nec sententia lata contra Extravagantes est ipso jure nulla, & tamen formam servant juris generalis communem. *Felinus & Canonistæ communiter in c. de sent. & re judic. &c. Pastorolis de fid. instrum.* quia cum Extravagantes extra Corpus juris minus notæ sint, & multæ incertæ circumferantur, ne sententiarum valor identidem esset incertus, merito sententia contrà Extravagantes lata non repudiatur tanquam nulla. Cum autem Regulæ Cancellariæ quoque non ubique æque notæ sint & mutari soleant, etiam in his idem admittendum erit. Hæ vero Regulæ non comprehenduntur sub gene-

generalibus derogationibus etiam motu proprio, & ex certa scientia factis, nisi fuerit de illis expressa mentio. Reg. 71.

C A P U T XII.

1. Regulæ, 2 Ordinationes, & 3 Constitutiones Cancellariæ Apostolicae SS. D. N. INNOCENTII Divina Providentia PP. XII.

Brevibus notis inspersæ.

1. *Regulæ* dicuntur, quod respiciant substantiam agendorum.

2. *Ordinationes*, quod modum & ordinem agendorum.

3. *Constitutiones*, quod obligent sub culpi & poena; Cum enim diversa sint nomina, diversæ quoque erunt significaciones.

4. Antea dictus Antonius Pignatelli fuit Cardinalis & Atchi-Episcopus Neopolitanus.

Proœmium.

SANCTISSIMUS in Christo Pater, & D. N. D. INNOCENTIUS Divina Providentia Papa XII. suorum Praedecessorum vestigiis inherendo, normam, & ordinem rebus gerendis dare volens 1 in crastinum suæ 2 Assumptionis ad summæ Apostolatus apicem, 3 videlicet, die tertii decima mensis Julii anno ab Incarnatione Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo primo Reser-